

Letter 76: Before 6 February 1521, [Frankfurt?], Wilhelm Nesen to Capito

The manuscript of the letter is in the Bibliotheque SHPF in Paris, ms 756/I, col.. Labouchère, t. 1, p. 58.

Eruditissimo viro Capitoni Nesenus S.

Diebus hisce aliquot gravissime decubui, morbi seminarium pituita. Hec sic me torsit ubi  
mandibulae suis cardinibus committuntur ut parum abfuerit quin prorsus extinxisset me. Tu inter  
reges et principes versaris quotidie. Quam fortunam tibi ex animo gratulor et perpetuo stabilem  
5 et fidelem comprecor. Scripsi ad te per plebanum a Steynheim, sed nihil hactenus rescripsisti  
quae tuae sunt occupationes. Da, queso, hoc negotii generoso adulescenti quem tecum habes  
Truchses, ut is tuo nomine respondeat quid sit mihi spei in precibus illis Cesariis ne illa diutina et  
tandem frustra expectatio nos supra quam par sit anxios reddat. De Luthero nihil audio quod  
10 audisse nollem. Erasmus pro sua magnanimitate nemini quicquam, veritus ne intercipientur quae  
scribat. Vale, eruditissime Capito, et me tibi commendatum accipe.